



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Christiana Institvtio Virtutum & vitiorum sacri uerbi Dei
declamatoribus admodum vtilis et necessaria**

Ammiani, Sebastiano

Venetiis, 1562

Voluntas propria tria mala facit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30415

in corde. De quibus Ecclesiasticus. **Eccle. 2**
 Væ duplici corde, & labiis scelestis.
 Labia scelesti sunt labia excommuni-
 cata, quæ à corde separantur, sicut,
 quando aliud sonat in ore quàm sit in
 corde. Ideo Matt. Sit sermo uester **Matt. 7^a**
 est, est, non, non. Sicut est in corde,
 sic proferatur in ore, alioquin pecca-
 tum esset. Isidorus. Omne quod à **Isydo.**
 ueritate discordat, peccatum est.
 Operis, ut iam ostèdat in opere, sicut
 loquitur in sermone, uel sicut osten-
 dit in habitu. sunt enim qui uerita-
 tatem non habent in opere, sed di-
 cunt ore, uel ostendunt habitu. Ec- **Ecc. 37^a**
 clesiasticus. Anima uiri sancti, annun-
 ciat uera. & c.

*Voluntas propria tria
 mala facit.*

Primum est, quia hominem in quo
 est propria uoluntas, furem facit.
 Ille enim qui est in religione, de-
 bet propriam uoluntatem abnegare,
 alioquin non sequeretur dominum.
 Matt. Siquis uult uenire post me ab- **Mat. 21**
 neget semetipsum & c. Luc. Qui non **Luc. 14^a**
 renunciauerit omnibus quæ possi-
 det & c. Ergo qui propriam uolunta-
 tem sequitur, seipsum deo subtrahit.

- Pla. 124.** & poenę aternę se subdit. Pſal. Declinantes autem in obligationes adducet dominus cum operantibus iniquitatem. Secundum est, quia meritum laboris perdere facit. Isa. Quare ieiunauimus & non aspexisti? & c. quę sequuntur. Bernardus. Grande malum propria uoluntas facit, quę fit, ut bona tua, tibi bona non sint. Tertium est, quia deus eam odit & punit. Bernardus. Quid odit Deus, aut quod punit propter uoluntatem propriam? Cesset propria uoluntas, infernus non erit. Qui ergo non subdit se Deo, subiicietur diabolo. unde Grego. Gregorius. Qui non subdit deo propriam uoluntatem, aduersario suo subiicietur, & c.

Via Christi triplex.

- Phi. 2.** Prima fuit de cęlo in uentrem uirginis. Et hęc fuit humilitatis. Philip. Qui cum in forma dei esset, non rapinam arbitratus est, & c. Et P. Augustinus. Ambula per Christi humilitatem, ut uenias ad æternitatem. Bernardus. Si hominis, o homo, imitari dedigneris exemplum, certę non erit tibi indignum sequi auctorem tuum; sed si non potes sublimem incedere semitam uirginitatis,